



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 41. Franciscus Lucas Brugensis & Philippus Monacæus mortui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](#)

& post aliquot menses ad fori cippum Sæc. XVII.  
adstrictus, affixa ad collum scheda, cui A. C. 1619.  
inscriptum: *Hic est Pseudo-Propheta, il-*  
*le, qui edixit, quæ non evenerant, expo-*  
*situs est: dein a lictore urbe eductus,*  
*exire patria, nec in Cæsaris ditiones*  
*redire, sub capitis pœna jubebatur:*  
Mencelius vero Pastor accersitus capi-  
tis postulatus est, eoquod mendacissi-  
mo suo calamo hominis fanatici sim-  
plicitate abusus, Cæsaream Majesta-  
tem atrocissime læsisset: Quoniam vero  
ex Protestantibus quamplurimi menda-  
ces hosce hæresum & falsitatum fabri-  
catores defendant, & deprædicent,  
necnon tanquam honorifica Ecclesiæ  
suæ membra venerentur, inde sat per-  
spicue demonstrant, quam alieni sint  
a vera & pura Christi Ecclesia, quæ  
ejusmodi Novatores, si qui reperian-  
tur, mox a Corpore suo resecat, de-  
clarans, quod tales quidem etiam non-  
nunquam *ex nobis prodierint, qui tamen*  
*non erant ex nobis, nam si fuissent ex no-*  
*bis, permanissent utique nobiscum, sed ut*  
*manifesti sint; quoniam non sunt omnes ex*  
*nobis, ab Ecclesia palam ejecti sunt.*

## §. XLI.

*Franciscus Lucas Brugensis, & Phi-*  
*lippus Moncæus mortui.*

Kk 3

Eo-

Sæc. XVII. A. C. 1619. Eodem anno Franciscus Lucas pa-

*Miraeus  
Script. Sæc.  
XVII.* tria Brugensis Lovaniensis Doctor ac postea Audomaropoli Decanus mortalitatem exuit. Hic nonnisi ad magna natus, singularis ingenii aciem primo in addiscendis Græca, hebraica, Syriaca, & Chaldaica linquis intendebat, quarum ope sibi ad abstrusiora Theologiae, sacrarumque literarum arcana aditum pandebat, non sine maximo Christianæ Reipublicæ emolumento; quippe unacum Benedicto Aria Montano, aliisque *Regia Biblia* confecerat, notasque longe eruditissimas adjiciens, variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discussit, ac præter commentarios in quatuor Evangelia insuper duos conscripsit libros annotationum in varias lectiones in Evangelii occurentes. Extant quoque ipsius tractatus de Chadaica Sacrae Scripturæ Paraphrafi, necnon *Itinerarium Jesu Christi ex quatuor Evangeliiis*, præter plurimas ejus *Conciones & orationes Funebres*: Decessit die decima nona Februarii. Obiit etiam hoc anno Parisiis, ubi natus erat, Philippus Menœus S. Theologiæ Doctor, qui profunda ingenii vi, acrisque judicij vigore, & consummata in rebus Theologicis peritia præditus universam Theologiam suis scriptis complecti moliebatur, morte autem

autem præventus nil nisi disputationes Sæc. XVII.  
Theologicas in selectas D. Thomæ quæ- Sæc. 1619.  
stiones posteris reliquit.

## §. XLII.

*Joachimi Backii, & Arnoldi ab  
Isca, atque Antonii Molinæ  
obitus.*

Hunc pari fato sequebatur Jacobus *Andr. Bibl.*  
*Backius Ultrajectensis Sacerdos, Belg.*  
qui eruditione ac prudentia clarus, *Miræus l.c.*  
dum recens nata Protestantium secta  
Belgium devastaverat, quamplurima,  
eaque doctissima opuscula contra hosce  
Novatores edidit, ex quibus præcipue  
celebrantur. I. *Scopa conscientiæ*, quem  
librum Gallico idiomate conscripsit.  
II. *Interpres, seu Advocatus omnium fin-*  
*cerorum Catholicorum.* III. *Bannum om-*  
*nium hæreticorum.* IV. *Catholicorum pra-*  
*vorum tè quare?* Decessit eruditus hic  
Author Ultrajecti anno ætatis suæ quin-  
quagesimo septimo. Huic adjungimus  
Arnoldum ab Isca Ordinis FF. Minorum  
celeberrimum Concionatorem, qui Lo-  
vaniensis Conventus Superior quinque  
sermones elucubrabat *de arte salubriter*  
*in Christum credendi, præter Officium B.V.*  
obiit die decima quinta Martii. Men-  
sis autem Septembris die vigesima pri-  
ma decessit non sine magna Sanctitatis

Kk 4

opis